
ORATIO
DE DIVO PETRO
IOANNIS BAPTISTÆ MAZZIOTTI
In Vaticano Seminario Rectoris.

A PETRO PAVLO SALICIO ROMANO

EIVSDEM SEMINARII ALVMNO

HABITA

Quinto Nonas Iulij. Anno Iubilæi. MDCL.



ROMÆ.

Ex Typographia Ludouici Grignani. MDCL.

SVPERIORVM PERMISSV.

ORATIO

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A [illegible] PAVLO ALICIO ROMANO

[illegible]

ITA


[illegible]



ROMAE.

Ex Typographia [illegible] MDCCL.

[illegible]




ILLVSTRISSIMO DOMINO

VGONI VBALDINO

Basilicæ Vaticanæ Canonico Decano

IO. BAPTISTA MAZZIOTTVS. F.





OSSES culpare beneficentiam tuam (Illustrissime Præsul) qua in me tantum hactenus floruisti, si cæterum meritis respondendo impar, verbis etiam parcerem, nec dicendo, beneficiorum magnitudinem explicarem; cui faciendo, quid rependam, omnino non suppetit. Lapides ipsos animauit in cantus illustris Planetarum Principis liberalitas, cum recepti intra Memnonis statuam radij nascentes, in ea vocali iàm facta, suauissimū melos effingebant. Lapidibus ipsis durior apparerem, si tot meritorum tuorum radijs decoratus, ne vocem quidem tuæ liberalitatis indicem, meæ imbecillitatis testem depromerem. Hoc tamen, locutionem ipsam difficilem efficit, quod facundiæ inops, & dicendi facultatibus destitutus, possum, dum loquor, mei silentij cupiditatem in Auditores inuehere. Tibi maximo Mæcenati Virgilios, & Horatios ætas nostra debuerat, & qui Romano imperio

ſolus aliquando par extitit Tullius, tibi vnus futurus erat fortaſſe non impar. At exiguam aquam gratatus Perſarum Rex è manu ruſtici familiariter propinatam, facit ſpem tibi meos iſtos oratorios floſculos fore gratos. in quem à maioribus Pontificibus, à fratribus Purpuratis pluſquam Regia magnanimitas emanauit. quem hauſta de diuino fonte ſanctitas morum; effuſa in cultum diuinum Religio, pluſquam humana in omnia pietas, ſupra quemlibet Regem terrarum exibuit venerandum. Gratare meos iſtos de Diui Petri laudibus oratorios flores, cui in auguſtiſſimo Apoſtolorum Principis templo ſecundus à Pontifice & à Patribus purpuratis locus obtingit. Mihi veniam impertiaris, oro, ſi gratiora non legerim ex mei ingenij viridiario germina, quæ ab eo, ſterilitatis probro infeliciter laborante, nequicquam ſperabantur. Vale.

PE-

PETRVS ADÆ PRÆLATVS PANEGYRIS.



IRABILEM in suis operibus rerum omnium conditor seipsum exhibuit, & nemo nisi mentis lumine penitus destitutus, potest in operum vultu, characteres artificis sapientiæ indices præterire. Eadem ipsa sapientia condidit Mundum, atque pene collapsum in veterem formam restituit, hoc inter restaurationem, & ædificationem discrimine, vt qui Mundum nullo prorsus negotio, soloq; verbo ex nihilo eduxit, eidem vt collapso succurreret, propriæ Sobolis, humanis artubus indutæ, supplicijs, ac nece consuleret. Ab interitu parum aberat moles hæc rerum, quam oculis cernimus, dum eius pars præcipua, quin & finis potissimus homo, lethali culparum vulnere sauciatus, præceps in interitum agebatur. Adam absoluto iam orbi, perfectèque procreato datus est præses; eidem Christi sanguine redempto, ac in meliorem viuendi rationem restituto præesse Petrus iussus est. Ex vtriusq; munere hoc emanauit, vt prouincias vice Numinis procurarent. Duorum Præsidum administrationis quæso causas Auditores accipite, vt Petro Adæ præposito, huius diei Petri solemnibus dedicati lætitiam, quoquomodo possum, vobis aperiam.

Ex conditione subditorum commendari regnantis prudentiam, exploratum omnibus arbitror. vt si non sit fluctus in æquore; idcirco ars Typhis iaceat, & omne Phœbi laboribus adimatur pretium, si homines valeant (vt inquit Ouidius) & nemo reperiendus, qui in obsequentes populos dominari nesciat. Subditorum licentia maximam affert regenti difficultatem, nec enim ferarum formæ (vt Poeta comminiscitur) aut aduersi Tauri cornua, siue arcus Æmonij, siue violenti Leonis ira, Scorpius, aut Cancer, moderantem Currus Patrios Phaetontem excusserunt; sed detrectantes iugum quadrigæ, atque insuetas aspernantes

habenas, Iouis illum fulminibus obiectum perdiderunt, & in Eridani gurgites infeliciter abegere. Menti quęso vestrę succurrat quàm facilis terrarum primo Præsidi moderatus obtigerit. In solo recenter nato quicquid fuerat genitum, malitiam nun sapiebat, nihil pronum in mala, nihil in aliena damna procliue, sed mutuus in animantibus amor, mutua dilectio, tum omnium consensus in hominis, sui, videlicet, Principis, vergebat obsequia. Non tumescebant in virus Draconũ colla, non indignatio Leonem exasperabat, nulla per Campos licentia equos raptabat, nulla tigridē rabies lacessebat ad cædes. Verùm placida omnia, in concordiam cuncta composita, ad vnicam vocem hominis accurrebant. Hoc sanè cunctorum studium, vt in obsequia Principis irent sui. Humanitatem in feris Adam, feritatem in hominibus nactus est Petrus. In syluas frementium bestiarum Mundus migrauerat; quot homines, tot monstra, tot crudelitatis, auaritiæ, immodici fastus, effrænati luxus prodigia numerasses.

Nullus à diuino cultu, Adam regnante, desciuerat. vnicus serpens homini fore illum Deo æquandum, per callida argumenta, mendacesque paralogismos conabatur ostendere. Cætera omnia, nominibus vocata suis, in Dei seruitium accurrebant. Nihil æque carum omnibus, quàm vt acceptam à Diuina liberalitate naturam obsequijs, si nequirent alio, compensarent. Recesserat, ante Petri regnũ Deus ab hominum mētibus, quòd terrenæ sapientię vanitas, omnium sacrilegiorum impietas, diligentissima superstitio, Demonum Cultus, Dei notionem omnem aboleuerant, Deorumque vmbras inuexerant infinitas. Magnorum scelerum præmium Diuinitas erat. Cœlo regnantem præposuerant Iouem violatæ coniugij tedæ, libatæ virginum niues, intentata patri violentia, & cathenæ, probra omnia, & infanda piacula perpetrata. Crudelitas Martem ad Diuinitatem euexerat; incestus Venerem, fraudes, & furta Mercurium, impatientia vini Bacchum, cædes, & strages Alcidem, ad imperium Cœli, per violata humana, diuinaque iura mortales ipsi grassabantur: tanta imbuerat animos superstitio: ea diuinitatis ignoratio mentes obsederat: tantum impietas profecerat in orbe terrarum. Difficilem adeo aggressus prouinciam, & tot, tantisque discriminibus obuiam, non animum dimisit Petrus, quin eam & feliciter moderaretur, atque ab ærumnis, quibus immodicè torquebatur,

vin-

vindicaret, sed in spem ereptus est illam eius prudentia, vel potius Numinis, cuius vices gerebat, sapientia, ad optimam viuendi rationem quamprimum transituram. At plurimum laboris insumendum est, plurima sunt obeunda discrimina, si scelerum excussa tyrannide, terrarum imperia sint in libertatem vindicanda. Pugnat potentia Principum, obstat Cæsarum magnitudo, Rerum publicarum edicta Christum, & à Christo salutem prouenire denegant, occurrentique a superis felicitati aduersantur. At quibus armis in hunc hostem pugnabitur? quæ copiæ ad tantum bellum instruendæ? desunt stipendia, quibus milites in Sacramentum adigantur. Non suppetunt præmia, quibus in deditionem hostes alliciantur. quæ animabus corpore exutis promittuntur, risus excipit, atque ludibrium. Petrus verò capiens ex difficultatibus incrementa fiduciæ, noua prorsus, & insueta pugnandi conditione hostem adoritur, traditamque prouinciam armis, quæ certis dispendijs oppositura credebantur, in libertatem aduocat, paupertatem opulentiæ obijcit, debilitatem potentiæ, imbecillitatem robori, & eò certior victoriæ fiducia nascitur, quò arctioribus infimæ egestatis, & abiectæ imbecillitatis angustijs coarctatur. Meministis maris elationes, quas admirabiles prædicat Regius Psaltes. Nihil pelago inclementius, nihil trucius, quod exasperant procellæ, atque Austri furor prouocat in tumorem. Credidissetis, tantis conatibus coercendis, montium aggeres obijciendos, vt ab vndarum incursu tuta foret Tellus, & ab alluuione secura. At circumspicite littora, si placet, arena est, quæ maris æstuantem retundit insaniam, in arenam illisi fluctus pristinum in locum repelluntur. Non minus sæuas in Principe, quàm in maris gurgite, metuas tempestates, dum in Principis mentem debacchatur impietas, animoque extrudit humanitatem vi crudelitatis, atque sæuitiæ omnis deturbata Religio. Principibus oppugnandis non accersiuit Principes Deus, nec retundendo furori crudelitatem opposuit; verum imbecillitate virium, rerum paupertate, & abiecta generis, sortisque conditione, eorum arrogantiam repressit, & fastum. Nudis pedibus erant conculcanda Cæsarum capita. Inermes manus erant fasces à Consulibus abstracturæ. Petrus è piscatore Pontifex, ex incola Galilææ, Christi Vicarius, contaminatam scelerum omnium contagione Prouinciam virtuti reddidit, Mundum Mundo restituit, dum proprio subdidit Regnatori.

Ex

Ex Adæ praua gubernatione,eò improbitatis,& nequitiæ processit humanum genus; vt Conditorem suum ad pœnitentiam adegerit, quòd hominem procreasset, & ad contemptum imaginis, quam scelerum turpitudo deformauerat,prouocauerit. Terra ipsa, quæ suum antea opificem oblectauerat, eiusdem maledictis cœperat in hominem reclamare; quando vel ex ipsa sanguis exclamans in improbum fratricidam, diuinam exagitabat iram. Extinguendis tantorum scelerum debacchantibus passim incendijs quæsita est vniuersa terrarum eluuies, nec nisi post ex haustum naufragijs Mundum locus erat innocentis sedis sibi deligendæ. Felici Petri moderatione, ex impietatis domicilio, in regiam sanctitatis Mundus immigrauit. In exilium secessit improbitas, quæ sedem anteaobtinuerat regnatricem. Mente quæso perpenditæ Auditores, qualis Orbi status fuerit ante susceptam à Petro Prouinciam. In vnum Palestinæ angulum Religio vera secesserat, ibique crebris, in dies piaculis polluebatur, vt neque vbi pedem Columba sisteret, reperiret. Tendebat in supplicia Deus,itaut ab vltione nomen illi fuerit factum, supplicia tamen improbis, quibus plectebantur, oberant, cæteris autem, vt ab sceleribus auerterentur,nihil alieni supplicij terrebat exemplum. Pentapolis, incolis frequens, Prouincias sinu vastissimas complectebatur, in ijs tamen non reperti sunt decem,quorum innocentia diuinam continuisset indignationem, quo minus in vniuersos supremi Numinis exarserit iracundia.Leones effræni rabie vastauere Samariam, alias vrbes excidit bellum, alias contagia deleuerunt, alias in extremam perniciem adegit inedia. Ex pœnis tamen, incrementa capiebat impietas, & ex vulneribus, criminum fœcunditate nascente, sobolescebat in scelera genus humanum, dum ob scelera plectebatur. Petro verò ad Mundi moderamen assumpto, improbitatem dediscere cœpere mortales, superstitio in religionem abijt, in castitatem obscœnitas, mutuus amor cædes auertit,excussa dominandi cupiditas, gratum subiectis seruitium, securum regnantibus præstitit dominatum. In exilium propulsus amor habendi, rerum omnium communionem induxit vniuersis. Fœdera non violata, amicitiæ non fictæ tunc primum inter homines emerserunt, Petroq; dominante vetustatem Mundus exuit, & renouata facies, fœdatam sceleribus formam obliterauit. Portenderat Deus regnandi discrimina in vtroq; Prore-

ge,

ge; dum enim Adam absoluit, nullam absoluto operi suæ voluptatis indicem adscripsit epigraphem, & à quo cætera compacta elogium acceperant, nulla in hominem laus, nulla commendatio processit. Aduertit enim mox inficiendum criminum afflatibus spiraculum vitæ, quod in hominem inspirauerat, imaginisque suæ characteres, ad quam illum effinxerat, quantocyus abolendos. Petri verò, dum in Petra construxit Ecclesiam, eò in laudes se effudit Deus homo; vt beatum illum, adhuc degentem inter mortales, appellauerit, & in quem ab astris matutinis proficiscuntur Encomia, Petri egerit Encomiasten. Nec excidit memoria haud singulare fuisse in Petrum à Deo deriuatum elogium; habuit enim ante Christum ætas prçterita eiusmodi laudatore dignatos; tum a Christo nonnullis data laudatio est. Memini Iob, patientiæ Magistrum, ob simplicitatem, & probitatem à Deo celebratum. Ob fidelitatem Abraham laudatum, & vberrimæ posteritatis pollicitis locupletatum. Secundum Dei Cor inuentum Dauidem. Cçteris hominibus in Sanctitate prælatum Ioannem Baptistam. Vas electionis Paulum Apostolum nuncupatum. Et tandem ne, singulos recensendo, sim longior, Angelicum Aquinatem, scriptis de Christo benemeritum, ab ipso in cruce pendente commendatum. Petrus verò, si laudationem penitus introspicias, peculiare à supremo præcone tulit Encomium, dum pleniores sunt laudes, & laudibus promissa mercedis succedunt, dum toti Ecclesiæ, aperiendi Cæli, Tartarique claues, eorumdemque reserandorum facultas impertratur.

Adam ob male administratam Rempublicam, mortis damnationem incurrit, mortem ipsam, criminis à se patrati supplicium, in posteritatem transfudit. Petrus ipse oppetit mortem, hoc tamen discrimine, quòd ab eius interitu fuerat salus in posteros manatura. Vaticano caput inferendum erat, vt felicioribus auspicijs Sedes inde perennis portenderetur, quàm ex deprehenso inter iacta huius vrbis fundamenta hominis capite in sede Tarpeia. Morere Petre, seu potius sanctè, feliciterque peractæ administrationis prœmia, quorum olim in Tabore gustum delibasti, pleniora tandem nunc suscipe. Tuo in nomine Pontifices Mundum omnem ad Cœleste iugum subeundum sollicitabunt. Nullus in Cœli Regiam, nisi te auspicante, introducetur. Viuet in cineribus tuis reuerentia superstes. Domicilium sanctitatis erit,

vbi

vbi Corporis tui reliquias venerabimur. Proijcientur ante tuas vrnas diademata Principum. Chlamydes Imperatorum prosternentur. Loculos, quibus ossa tua clauduntur, intextæ purpura Syndones exornabunt. Pœnitentium Regnatorum lacrymis marmora madebunt. Supplicantes ibi vota proment, quibus à populis, à Prouincijs, ab integris vsque nationibus preces effundi consueuerunt. DIXI.


PE-

PETRVS ADÆ
Ab Auctore Prælatus.

EPIGRAMMA.

FLuctuat incertas sub Adam Rectore per undas
Mens humana, affert exitiumque Polus.
Tu Rector nouus instaurati diceris Orbis
Petre, nouos auctor dum regis inde modos.
Quò Petri memoras maiores carmine laudes,
Eò maior, Vates, nunc tua fama micat.

Petrus Tostus Cæsanus Alumnus.



GRATIORA SVNT PETRO
Præconia à scriptore celebrata, quam laudes omnes totius Orbis terrarum.

EPIGRAMMA.

PLausibus exultat Tellus, exultat Olympus,
Atq; hominum plaudit sic genus omne simul.
Gloria nunc Petro cunctis est partibus Orbis,
Omnia qui in laudes percupit ire suas.
At calamo formata tuo præconia Scriptor,
Hæc Petro arrident, diligit ista magis.

Carolus Veteranus Vaticani Seminarij Alumnus

DE DIVO PETRO
Apostolorum Principe.

DISTICHON.

E*Xtitit humana Crux nostræ causa salutis:*
Eligit idcirco Petrus obire Cruce.

ALIVD.

C*Vm referas Petri diffuso carmine laudes,*
Is referet meritò cælica regna tibi.

Ioseph Marinuccius Alumnus Sulmonensis.

****

PETRI IMPERIVM
Præstat Adamo.

DISTICHON.

O*Mnia quæ quondam primo sub Patre fuerunt,*
Imperium Petri nunc meliora facit.

Petrus Paulus Salicius Romanus Alumnus.